

www.e-rara.ch

**Ioh. Iacobi Harderi med. d. et phil. prof. Basil. Prodigium physiologicum
naturam explicans humorum nutritioni et generat. dicatorum**

Harder, Johann Jakob

Basileae, an. 1679

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-72088>

Caput I

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]



C A P U T I.

De

HUMORIBUS IN GENERE.

Res sunt Substantiæ quibus corpus nostrum constat secundum Hippocrat. Lib. VI. *Προσημίαν* Sect. 8. τὰ ἔχοντα, ὀρμῶντα καὶ ἐνι-
χόμενα σώματα, continentia, im-
petum facientia & contenta corpora; illorum nomine partes, *istorum* spiritus, *horum* verò humores intelligendi veniunt. De humoribus egit venerandus Senex, l. περὶ φύ-
σεως αἰθρώπου, tractat. item express. quem περὶ *χυμῶν* insignivit, aliàs τῶν ὑγρῶν, interdum τῶν ῥευσμάτων nomine totam fluidam corporis nostri substantiam comprehendens. De iisdem quoque hinc inde differuit, in lib. de caus. morb. de febr. differ. & de loc. affect. Hos excepere plures alii qui veritatis in vestigandæ amore ducti, Humo-

A

res

res suarum meditationum objectum esse jusserunt, multaque & lectu jucunda & scitu utilia de iis literato prodiderunt orbi, in multis tamen invicem non ita consoni, imprimis si cum Veterum dogmatis, modernorum placuerit asserta conferre: Nos *humorum Nutritioni & Generationi* destinatorum, &c. tradituri doctrinam rationi & veritati consentaneam, hos 1. in *genere* considerabimus, hinc, 2. singulos *speciatim* pro virili excutere conabimur.

Generatim autem humores consideraturi τὸ εἶναι ipsorum probare necesse habemus: Et quidem humores in corporis humani fabricâ negare nemo faciliè audebit, cum in semetipso unusquisque, vel levi factò experimento, eos faciliè deprehendere possit; an autem unus vel plures, neque plures solùm, sed specie diversi, in corpusculo nostro dentur, in controversiam venit.

Pluralitas humorum, quâ *nutritiorum* & alimentarium, quâ *excrementitiorum* & *utilium*, faciliè demonstrabilis est, observare enim licet, cibo in ventriculo in materiam albidam soluto & in intestinis planè absoluto, materiam quandam lacteam in propria vasa recipi, in corde verò & arteriis

teriis humorem notare est florentem & rubicundum, odoris & saporis suavis & amicus: De *humoribus excrementitiis* idem facili negotio ostenditur, vesiculam enim felleam *humori bilioso* excipiendo destinata esse, quis ignorat? lienem *succo acido* & *melancholico* generando idoneum esse, ipsi Veteres firmiter sibi persuasum habebant: in vasculis *lymphaticis* humorem contineri *sero* similem, ab eodem tamen differentem, quotidiana nos docet experientia.

Præter hæc autem Veteres Sanguinis penetralia accuratius lustrantes, eum in varios humores semetipsum secare inquirunt, *sanguinem* nempe *proprie sic dictum*, massæ sanguineæ partem calidam & humidam, *bilem*, partem ejusdem calidam & siccam, *pituitam* partem frigidam & humidam, & *melancholiam* partem frigidam & siccam, hosque humores specie ab invicem differre acriter contendunt, ita Hippocr. dict. lib. πρὸς φύσιν αἰθρώπ. Τὸ δὲ σῶμα τῆ αἰθρώπ. ἔχει ἐν ἑαυτῷ, αἷμα καὶ φλέγμα, καὶ χολὴν διττήν, ξανθὴν δὲ καὶ μέλαιναν, καὶ πάντ' ἐστὶν αὐτῶν ἡ φύσις τῆ σώματος, καὶ διὰ τούτων αἰσθάνεται καὶ ὑγιάνει: At verò corpus hominis habet in se ipso sanguinem & pituitam

CAP. I. De Humoribus

4

& bilem duplicem, flavam viz. & nigram,
 atq; hæc sunt ipsius corporis natura, & per
 hæc & egrotat & sanus est: Et paulò infe-
 riùs, Φημι δὴ εἶναι αἷμα καὶ Φλέγμα, καὶ χο-
 λὴν ξανθήν τε καὶ μέλαιναν, καὶ τέττων πρώτων
 μὲν κτ' νόμον, καὶ τὰ ὀνόματα διωρίζεται Φημι,
 καὶ ἐδιδόναι αὐτῶν τὸ αὐτὸ ἔννομα εἶναι: ἔπειτα πᾶς
 ἰδέας κτ' φύσιν κεχωρίσθαι, καὶ ἔτε τὸ Φλέγμα
 ἐδιδόναι εἰκείναι τῷ αἵματι, ἔτε τὸ αἷμα τῇ χολῇ,
 ἔτε τῇ χολῇ τῷ Φλέγματι, πῶς γὰρ αὐτὸ εἰκείναι
 εἴη τῶντα ἀλλήλοισιν, ὧν ἔτε τὰ χρώματα ὁμοία
 φαίνεσθαι περὶ σφύρας, ἔτε τῇ χερεί ψαυόμενα ὁ-
 μοία δοκέει εἶναι &c. Et dico sanè esse san-
 guinem & pituitam, & bilem flavam ac ni-
 gram, & horum primum quidem juxta re-
 ceptam opinionem, nomina distincta esse di-
 co, & nulli ipsorum idem nomen esse, deinde
 species juxta naturam separatas esse, & ne-
 que pituitam similem esse sanguini, neq; san-
 guinem bili, neq; bilem pituita: Quo enim
 modo hæc inter se similia sint, quorum neq;
 colores similes videntibus apparent, neq; ad
 manuum tactum similitudo aliqua esse depre-
 henditur?

Argumenta quibus divinus hic Vir cum
 suis Affectis hanc suam sententiam pro-
 pugnare annititur, varia sunt,

I. pe-

1. Petitum est à *disſimilitudine*, quæ dictorum *humorum* varias & discrepantes *qualitates* ferire videtur: ἔτε γὰρ θερμὰ ὁμοίως ἐστίν, ἔτε ψυχρὰ, οὔτε ξηρὰ, ἔτε ὑγρὰ, ἀνάγκη τοίνυν, ὅτι ποσῶτον διήλλακται ἀλλήλων πλὴν ἰδίῃν τε καὶ πλὴν διωάμην μὴ ἐν αὐτὰ εἶναι. *Neg, enim similiter calida sunt, neg, frigida, neg, sicca: Quum itaq, in tantum inter se discrepent, tum specie tum facultate necesse est, ipsa non unum esse:* His accedit, quòd *sanguis* colore micat rubeo & florente, quòd *bilis* flavo colore superbit, quòd *pituita* pallet, & *melancholia* subatro colore luget, quòd *sanguis* sapore suavi & dulci linguam exhilarat, quòd *bilis* amarore molesta est, quòd *pituita* nec multum sapida nec multum insipida, quòd *melancholia* austeritate incommodum parit.

2. Depromptum est à *medicamentorum operationibus*: ἦν γάρ τιμι δίδως αἰθρώπῳ φάρμακον, ὅτι φλέγμα ἄγῃ, ἐμέεταί σοι φλέγμα, καὶ ἦν δίδως φάρμακον ὅτι χολὴν ἄγει, ἐμέεταί σοι χολὴν, καὶ πᾶν τὸ δὲ καὶ χολὴν μέλαιναν καθαίρει, ἦν δίδως φάρμακον, ὅτι χολὴν μέλαιναν ἄγῃ: *Si homini alicui medicamentum dederis, quòd pituitam ducit, pituitam tibi vomet, & si pharmacum dederis bilem ducens, bilem tibi vomet: Eâdem ratione &*

bilem atram purgabit, si medicamentum exhibueris, quod bilem atram ducit: Hos E. humores prius in massâ sanguineâ extitisse oportet.

3. Desumptum est ab *anni tempestatibus*, quibus hi humores diversimodè augeri solent: χειμῶν αὐξεται ἐν τῷ αἰθρώπῳ τὸ μὲν φλέγμα, τὸ δὲ ἥρ τοῦ αἵματος, τὸ δὲ θέρε ἡ χολὴ αἰείρεται, ἡ δὲ μέλαινα χολή, τὸ φθινοπῶρος πλείεσι δὲ καὶ ἰχυροτάτη ἐστίν. Hyeme quidem augetur in homine pituita, vere autem augetur sanguis, aestate bilis in corpore elevatur, atra autem bilis, autumnus & plurima & fortissima est. Quibus nonnulli adjungunt, diversos, quos hi humores fortiuntur motus, ita ut ab horâ matutinâ diei tertiâ, ad horam nonam, moveatur sanguis in specie ita dictus, ab horâ diei nonâ, ad horam vespertinam diei tertiam, moveatur bilis, ab horâ diei tertiâ vespertinâ ad horam noctis nonam moveatur melancholia, ab horâ noctis nonâ ad horam matutinam tertiam moveatur pituita: Fundamentum, quo motus hujus authores nituntur, est quod aer dictorum quatuor temporum, quatuor dictis humoribus, qui in temporibus illis moveri dicuntur, temperiei similis est, unde ad illorum

augmentum & motum plurimùm contri-
buat :

4. *Argum.* suppeditat diversa horum hu-
morum *consistentia*, & diversi ab his pro-
duci soliti *effectus* : Etenim *sanguis* & *bilis*,
ille quidem magis, *hac* minus, substantiæ
sunt subtilis & tenuis, *pituita* paulò cras-
sioris, *melancholia* crassissimæ : *Sanguis*
putrescens in vasis majoribus, *synochum*
parit : *Bilis* in iisdem vasis putrilaginem
concipiens, *tertiana continua* locum ape-
rit : *Pituita quotidiana continua* an-
sam præbet : *Melancholia quartana continua*
mater existit : iidem humores, si fiant,
excrementitij, putrescentes circa hypo-
chondria, *intermittentium* generationi mi-
nistrant, *bilis tertiana*, *melancholia quar-
tana* &c. Imò in ipso sanguine, qui se-
ctâ venâ effluit, *hac* partium *varietas* ob-
servatur, dum quædam planè *rubra* ac *flo-
rida*, quædam *nigra* *crassag*, in fundo, quæ-
dam *flavescentes*, in quibusdam verò etiam
aliquid manifestè *album*, apparent.

Hisce similibusque rationibus *Veteres*
pluralitatem specificam humorum, evinci
posse putant, quibus hoc ævo refragantur
haud pauci *Viri Doctissimi*, Ingeniosissimus
VVillisius de quatuor horum humorum in

massâ sanguineâ existentia maximopere dubitat, hancq; ipsam refutat asserendo, *sanguinis humorem unicum tantum esse, cæteros verò cruoris esse recrementa, quæ ab ipso discerni debeant*: Et sanè si rem æquâ lance quispiam trutinare voluerit, fatebitur difficile esse, vel *bilem* gustu amaricantem, vel *pituitam* insipidam, vel *melancholiam* austeram in sanguine deprehendere: Multò difficilius adhuc, ex hisce ita suppositis specificam eruere differentiam, ita enim vel *sanguinis nutritij* naturam exuent & in recrementa faceßent, vel diversæ tantum hujus audient partes.

Neque etiam diversus horum *humorum motus* est: Vi enim sanguinis circuli, ab Accuratissimo *Harveo* detecti, sanguis æqualem, sibiq; per omnia similem motum servat, neque unus hæc, alius aliâ movetur horâ: Id equidem fieri potest, ut interdum sanguis inæqualiter effervescat, & nunc minori, nunc majori fervore æstuet, prout hoc ex pulsu *inaquali*, *celeri* vel *tardo*, palam fit: Verùm uti *illud* non fit, nisi magna sanguinis urgeat dyscrasia, ita nec vel à *bilis* vel à *pituitæ*, vel alterius humoris, motibus diversimodè fieri solitis, pulsum inæqualem derivare licet, ta-
ceo

ceo quod pulsus justò *celerior* vel *tardior*,
 æquali *cruoris* effervescentiæ nihil adi-
 mant.

De *medicamentis cholagogis*, *phlegmago-*
gis & *melanagogis*, quæ afferuntur facile
 est decidere, negando viz. medicamenta
 talia vel solam *pituitam*, vel meram *bilem*,
 vel nudam *melancholiam* educere, inpri-
 mis si in majori dosi ea propinaverimus:
 Neque si sol. sen. quis hauserit, vel agaric.
pituitam vel *melancholiam* semper deji-
 ciet, quin imò æquè facile *bilem*, Natura enim
 à medicamento vi irritata, illi potissimum
 humori evacuando intenta est, qui sibi
 molestiam creat.

Ex *sanguinis* colore rutilo, *bilis* subfla-
 vo &c. Ex *consistentiâ* horum *humorum*
 nunc *tenuiore* nunc *crassiore*, (suppositis
 hæc omnia ita demonstrata esse, vel de-
 monstrari posse) ad humores specie di-
 versos, non videtur propterea licitum esse
 argumentari, quòd humoris unius ejus-
 demque pro diversâ partium constituen-
 tium ratione, nunc major nunc minore
 tenuitas vel crassities, *gradualement* tantum,
 non *specificam* probat distinctionem, ut
 jam non dicam, summopere dubitari, an
colores humoribus modò attributi, in statu

naturali oculis sese ita exhibeant, &, si nonnunquam conspiciantur, utrum exinde ad *bilem alimentariam*, vel alium quempiam humorem argumentari fas sit.

Facile quoque eludit Clariss. *VVillis* diversos *humorum effectus*, quos in febribus prodere præcipuè consueverunt: Res enim adhuc difficultatis plena, num *humores* hi circa hypochondria putrescentes, *intermittentium febrium* causa existant, in vasis verò majoribus putredinem concipientes, *continuas* pariant? Sanè facilius talis humorum circa hypochondria restitatio & putredo concipitur, quàm vel probatur vel demonstratur: Quin si *VVillisio* credimus, in *tertianâ intermittente*, re-torrida sanguinis constitutio accusanda venit, propter quam suocus alibilis, qui è comestis crudus infertur, non citò subigitur & maturatur, sed plurimùm ejus in materiam nitro sulphuream pervertitur, quâ cum sanguinis massa ubertim saturatur, effervescentiam postmodum concipit: Videatur prolixè de hisce differens, ipse *VVillisius* lib. de *Febr.*

Hisce difficultatibus incitati *Recentiores*, ad *Ignis* confugerunt operam, *sanguinem* cum suo satellitio hujus subjecerunt *exami-*

xamini visuri, num vel *bilem*, vel *pituitam*, vel *melancholiam* elicere possint: Ast fellit spem eventus! nihil præter *spir. sulph. sal. volat.* cum *terrâ* & *aquâ* habere licuit, unde absteriti, (fortè suâ sponte) hi *Viri*, *humoribus* ab *Hippocr.* & *Galen.* tantâ fide assertis, tantùm non perpetuum miserunt *vale*.

Equidem nec *nos*, nisi propriæ *αὐτοψία* & experientiæ pertinaciter refragari velimus, audemus affirmare, vel *bilem* vel alium quempiam ex *humorib. Galenic.* (præter *phlegma*,) per destillationem elici posse.

Ast cùm & hæ ipsæ partes, quas ope *Vulcani* exhibitas intueri licet, heterogeneæ sint, & specie diversæ, talesque vel secundum ipsum *VVillisium* sanguini jam antea inextiterint, imò inexistere debuerint, si ullâ cum ratione, ut sanguis in talia principia ab igne resolveretur, postulare potuimus, etiam *Hippocr.* cum suis assecclis tam graviter impegisse non videtur, quòd *sanguinem* in *humores* diversos secuit, quid si enim sanguis *spiritui*, cui *sal volat.* cum *sulph. purissimo* junctum est, dicatur æquipollere, quid si *bilis*, quàm *VVillisius* *sulph.* & *sale* constare agnoscit, cum
hiscæ

hisce conveniat, quid si *phlegma* cum aquâ,
 & *melancholiam* cum partibus terrestribus
 (cùm in rectificatione sal. volat. & spir. san-
 guinis, oleum in fundo maneat spissum,
 & nigerrimum,) comparemus: Aut si
 cuipiam hæc minùs grata sint, non agrè
 feret, si dicamus, *Vulcano* ministrante, pro-
 dire ea, quibus elementorum vestigia sunt
 impressa: *Phlegma* siquidem *aquam*, *spi-
 ritus*, *aërem*, *oleum*, *ignem*, *solida substan-
 tia terram* repræsentat, quæ *Hippocr.* no-
 mine *calidi*, *frigidi*, *humidi*, & *sicci* com-
 prehensens, ab illis ipsis dehinc, ad qua-
 tuor *humorum* existentiam argumentatur:
 Καὶ πάλιν τε αἰάγκη ἀποχωρεῖν εἰς τὴν ἐαυτοῦ φύ-
 σιν ἕκαστον τελευτῶντων τὰ ἀνθρώπων, τὸ τε ὑγρὸν
 περὶ χωρῆσται πρὸς τὸ ὑγρὸν, καὶ τὸ ξηρὸν πρὸς τὸ
 ξηρὸν καὶ τὸ θερμὸν πρὸς τὸ θερμὸν καὶ τὸ ψυχρὸν
 πρὸς τὸ ψυχρὸν, &c. ζῶνίζεται γὰρ αὐτῶν ἡ φύ-
 σις ἀπὸ τῶν τῶν περὶ αἰρημένων πάντων, καὶ τε-
 λευτῶν καὶ τὰ ἐιρημένα, εἰς τὸ αὐτὸ, ὅθεν περὶ ζῶνεται
 ἕκαστον, εἰς τὰντα ἐν ἧ ἀπεχώρησε: Τὸ δὲ σῶμα
 τῶ ἀνθρώπων ἔχει ἐν ἐαυτῷ αἷμα καὶ φλέγμα &c.
 Et rursus necesse est secedere singula in suam
 ipsorum naturam, homine moriente, humi-
 dum nimirum ad humidum, siccum ad sic-
 cum, calidum ad calidum, frigidum ad fri-
 gidum, &c. Constat enim natura ipsorum

ex his prædictis omnibus, & desinit juxta prædicta, in id unumquodq, unde est compactum, secedens: At verò corpus hominis habet in se ipso sanguinem, & pituitam &c.

Ratione quin etiam petita à nutritione partium singularum, diversarum partium in sanguine existentia probari potest: Omnium namque ore decantatum est, unamquamque partem, pro alimento assumere illud quod sibi familiare est, & quæ calidioris sunt natura, sanguinem capere calidiorem, quæ terrestris, siccior & crassioris consistentiæ, quibus suum quoque calculum addit Willisius cap. de Arthrit. inquit: Porro dum materia nutritia distribuitur, siquidem particula ejus, cuiq, parti alenda proportionari, & juxta ipsam manere debent, idcirco dum spirituosæ cerebro, & sulphureæ carni, parenchymati &c. destinantur, maximè salinas & fixiores, circa ossium internodia deponi, iisq, dein assimilari oportet: Ex quibus satis evidens est, non quamlibet in massâ sanguineâ partem (vel humorem) unicuique indifferenter sustentandæ idoneam esse, sed plures easque heterogeneas requiri.

Quibus ita prælibatis, definimus Humorem, quòd sit, corpus fluidum, in partibus
soli-

14 CAP. I. De Humorib. in genere.

solidis humani corporis contentum, atq; in eo genitum: quâ definitione generali, exhibetur, tum natura humorum, quòd sint fluidi, tum etiam locus in quo generantur & stabulantur: Si quæ sunt aliæ definitiones, illæ vel ab hâc nostrâ parum recedunt, vel non omnibus humoribus accommodari possunt: Sed vel solis alimentariis, exclusivè ad excrementitios, vel his exclusivè ad illos: Verùm ad humores in specie progredimur.



CAP.